

LIVIA DRUSILIA Tiberio Neroni antea nupta, ex quo etiã Tiberium & Drusum Neronem suscepit, Augusto petenti in matrimonium collocata, vnicè & perseueranter ab Augusto dilecta. Nihil liberorum ex eo habuit. Fœtus conceptus immaturus est editus. Mulier comis ad extremam ætatem vixit. Octuagesimum annum sine vno morbo attigit. Mortua elata est adhibitis quibusdam imaginibus cum luctu mulierum Romanarum ad annum, iussu Senatus.



OCTAVIA, patre Octavio, & matre Ancharia nata, soror Octaviani Augusti, M. Antonio in coniugium tradita, ex eo duas Antonias maiorem & minorem suscepit. Deinde M. Marcello iuncta, duas filias, & C. Marcellum filium, Augusti generum genuit.

C. MARCELLVS, C. Marcelli & Octaviae, Octaviani Augusti sororis, filius, vix dum pueritiam egressus, Iuliam Augusti filiam, in matrimonium duxit, & haud multò post obiit.



TIBERIVS NERO CAESAR, ex patre Tiberio Nerone, qui sub Iulio Cesare bello Alexandrino Questor fuit, & matre Liuia Drusilla x v i. Calend. Decemb. M. Aemilio Lepido, & Munatio Planco Coss. natus est. Infantiam pueritiãq; habuit luxuriosam